

artificio paratur; & hinc Cinnabaris ꝯnii nihil aliud est, quàm ꝯur ꝯnii cum ꝯrio ligatum. Sic ꝯur etiam ex Cinnabari nostra nativa cum ꝯ le ꝯri per destillationem elicitur. Cinnabaris nimirum ꝯnii & nativa, si cum ꝯ le ꝯri miscetur, & per retortam propellitur, reddit ꝯrium currentem, & hoc modo, quod arcanum est multorum, ꝯur hinc acquiritur purum.

CAPUT XIX.

Causam materialem Cinnabaris Mineralis, seu Minii Naturalis tertiam, Terram nimirum mineralem lapidescentem in specie pensitat.

Terra vulgaris triplex est, animalis, vegetabilis & mineralis: sic & Philosophica subdividitur. Verùm differentia inter vulgarem & Philosophicam est, quòd illa sterilis, mortua; hæc viva & vegetans sit; vocatur etiam matrix, terra foliata, creta, terra virginea, fimus Philosophorum, terra, quam aër in utero portat, sepulchrum & vivificatio rerum. Terra, quæ tertia pars componens Cinnabaris nativæ audit ꝯrioque & ꝯri basin præbet, est mineralis lapidescens, & ita non propriè terra, sed propter analogiam ita dicitur, differtque ab ea admodum parum, quæ etiam corpus est fossile, naturæ mineralis particeps, injectaque aquâ solvitur & lutum fit. Et quamvis quædam hujus generis terræ reperiantur, quæ aquis madefactæ non confestim solvantur in lutum, progressu tamen temporis, si diu macerentur, eò rediguntur.